

tres reliquos digitos; alias vero, inter pollicem et reliquos digitos.

483. Ad discooperiendum et cooperiendum Calicem, sinistra ad cautelam (non ex *praecepto*) super pedem eius ponitur, et dextra palla de *cuppa* tollitur, aut super *cuppam* reponitur.

484. Pectus sibi percutit Sacerdos, manu dextera extensa digitisque coniunctis, ter ad *mea culpa*, sinistra infra pectus posita; semel ad *Nobis quoque peccatoribus*, et ter ad *miserere nobis* et *dona nobis pacem* ad *Agnus Dei* (sed non in Missis Defunctorum), sinistra super Corporali, ac ter ad *Domine, non sum dignus*, sinistra Patenam et Hostiam tenens.

§ V. — *De Altaris osculatione.*

485. Cum Celebrans Altare in Missae celebratione, vel in aliis functionibus sacris, osculatur, in medio labiis physice illud tangendo osculari debet, manibus hinc inde super ipsum aequaliter *extensis*.

486. Celebrans Altare osculatur antequam ad populum se vertat dicturus *Dominus vobiscum* et *Orate fratres*, sub Oratione *Aufer a nobis* ad verba *quorum reliquiae hic sunt*, in initio Canonis ad verba *uti accepta habeas*, sub Oratione *Supplices te rogamus* ad verba *ex hac Altaris participatione*, in fine Missae post Orationem *Placeat*, etiamsi non detur benedictio ut in Missa de Requie, et in Missa solemni antequam Diacono det pacem.

487. Item Celebrans Altare osculatur in Vesperis solemnibus sub initio *Magnificat*, antequam thus imponat, et:

488. Cum prima vice Altare ascendit in benedictione Candelarum, Cinerum et Palmarum, in Officio Feriae VI in Parasceve et Sabbato sancto, ante Prophetias.

§ VI. — *De oculorum elevatione.*

489. Oculi ad Crucem Altaris¹, eandem aspiciendo, eleventur, statimque dimittantur (praeterquam ad *Offerimus*) ante *Munda cor meum*, ante *Suscipe sancte Pater*, ad integram Orationem *Offerimus* in oblatione Calicis, ad *Veni Sanctificator*, ante *Suscipe sancta Trinitas*, ante Praefationem ad verba *Deo nostro*, in initio Canonis ad *Te igitur*, ad verba *et elevatis oculis in coelum* ante Hostiae consecrationem, et ad *Benedicat vos omnipotens Deus* in fine Missae.

490. Sub utraque elevatione, oculi continenter ad SS. Sacramentum intenti teneantur. Idem valet ad Memento Mortuorum, per totum *Pater noster*, quando sine cantu dicitur, in tribus Orationibus post *Agnus Dei*, et quoties actio exercetur circa SS. Sacramentum.

491. Si expositum sit SS. Sacramentum, oculi non ad Crucem, si adsit, dirigantur, sed ad SS. Hostiam quoties eleventur.

§ VII. — *De voce seu pronuntiatione in Sacrificio Missae.*

492. In celebratione Missae Sacrificii, sicut in aliis sacris functionibus, vitanda est, quoad pronuntiationem,

¹ S. Rit. C. 22 Iulii 1848, in Adiacen.

nimia festinatio ac nimia morositas, ita ut Sacerdos commode advertere queat quae legit, et adstantes non taedio afficiantur.

493. Rubricae Missalis quadruplicem vocem in privata Missae celebratione distinguunt: secretam, submissam, parum elevatam et altam.

494. Secreta voce, id est voce ut Sacerdos seipsum audiat, sed ab adstantibus non audiatur, sequentia proferuntur: integrum *Aufer a nobis, Oramus te Domine, Munda cor meum, Iube Domine benedicere* et *Per evangelica dicta*, a *Suscipe sancte Pater* omnia usque ad *Per omnia saecula* etc. ante Praefationem, exceptis tantum verbis *Orate fratres*.

495. Eadem voce dicuntur totus Canon Missae usque ad *Per omnia saecula* etc. ante *Pater noster*, exceptis solis verbis *Nobis quoque peccatoribus*, illud *Amen* post *Pater noster* cum Oratione *Libera nos quae sumus* etc. usque ad *Per omnia saecula saeculorum* exclusive, Oratio *Haec commixtio* etc., omnes Orationes (excipiuntur tamen verba *Domine, non sum dignus*) usque ad Communionem, ac demum Oratio *Placeat tibi sancta Trinitas* etc.

496. Voce submissa, quae etiam a circumstantibus vicinioribus auditur, dicitur *Amen* responso *Suscipiat* etc. a Ministro post *Orate fratres*, et dicto ab eodem *Sed libera nos a malo*. Voce autem parum elevata dicuntur haec duo verba *Orate fratres*, integrum *Sanctus*, verba *Nobis quoque peccatoribus*, ac ter repetita verba *Domine, non sum dignus*, non vero reliqua quae haec sequuntur.

497. Voce denique alta omnia alia in Missa dicuntur, quae in praecedentibus numeris non sunt no-

minata seu indicata. Sit tamen haec vox moderata, ita ut ad circumstantium aures pervenire possit, minime autem ipsis, aut aliis Sacerdotibus eodem tempore celebrantibus sit molesta, aut causa perturbationis.

§ VIII. — De iis, quae Celebrans memoriter scire debet.

498. Celebrans memoriter scire debet Orationes dicendas, dum manus lavat et sacras vestes induit.

499. Item omnia, quae dicuntur ab initio Missae usque ad Introitum.

500. Totum *Gloria in excelsis* (saltem perutile erit hoc memoriter scire), *Munda cor meum* cum aliis usque ad Evangelium, et post Evangelium illa verba *Per evangelica dicta* etc., ac *Credo*, saltem illa verba *Et incarnatus est* usque ad alia *et Homo factus est* inclusive.

501. Praeterea memoriter scire debet Orationes *Suscipe sancte Pater* etc., *Deus, qui humanae substantiae* etc., *Offerimus tibi Domine calicem salutaris* etc., *In spiritu humilitatis* etc., *Veni Sanctificator* etc., Psalmum *Lavabo* (saltem primos versiculos), *Suscipe sancta Trinitas* etc., totum *Orate fratres* ac *Sanctus*.

502. Similiter Celebrans memoriter scire debet initium Canonis *Te igitur* etc. usque ad verba *haec sancta sacrificia illibata* inclusive, verba *benedictam* etc. usque ad formam consecrationis Hostiae, ac verba *Simili modo* etc. ante et *Haec quotiescumque feceritis* etc. post consecrationem Calicis.

503. Post Consecrationem memoriter scienda sunt: *Unde et memores, Hostiam puram* etc., *Supplices te*

rogamus usque ad *Per eundem Christum* etc., verba *sanctificas, vivificas* etc. usque ad *omnis honor et gloria, da propitius pacem dum* se Patena signat, et *Per eundem Dominum* etc. dum Hostiam frangit, et *Haec commixtio et consecratio etc.* dum particulam Hostiae in Calicem dimittit.

504. A Communionem usque ad finem Missae memoriter scire et recitare debet Sacerdos: *Panem coelestem accipiam, Domine, non sum dignus, Corpus Domini nostri Iesu Christi etc., Quid retribuam Domino, Calicem salutaris accipiam* etc., *Sanguis Domini nostri Iesu Christi* etc., *Quod ore sumpsimus* etc., *Corpus tuum Domine* etc., *Placeat tibi sancta Trinitas*, etc., *Benedicat vos omnipotens Deus* etc., ac denique Canticum *Benedicite* cum *Antiphona Trium puerorum* etc.

CAPUT III.

DE PARTIBUS MISSAE VARIABILIBUS.

505. Quoad partes, quae in Missae Sacrificio variantur, sequentia notantur:

Gloria dicitur in omni Missa convenienti Officio, in quo Hymnus *Te Deum* fuit recitatus. Insuper in Missis Feriae V in Coena Domini et Sabbati sancti: item in Missa votiva B. M. V. in Sabbato (tantum), in Missa votiva Angelorum, in Missa votiva alicuius Sancti, cum de eo celebratur festivitas; in Missa Octavae, quae celebratur infra Octavam, sed more votivae, i. e. extra ordinem Officii, et in Missa votiva solemnem pro re gravi vel pro

publica Ecclesiae causa, nisi celebretur in colore violaceo.

506. Orationes seu Collectae in Missa dici debent iuxta regulas liturgicas, prout in Calendario indicantur, nec unquam licitum est Celebranti ex propria aut Fidelium devotione aliquam Orationem addere aut mutare, nisi in casibus a Rubricis permissis.

507. Hoc idem valet de Orationibus Secretis ac Postcommunionibus, quae semper, sive quoad numerum, sive quoad ordinem, Orationibus ante Epistolam correspondere debent.

508. Orationes Missae variantur quoad numerum, iuxta ipsummet numerum Commemorationum ratione Officii occurrentium: secundo iuxta ritum Officii diei, ac demum, si sint aut non sint Orationes imperatae.

509. Ordo Orationum est sequens: primo loco dicuntur Orationes festi seu diei, deinde aliae speciales, quae semper Commemorationibus Laudum correspondent et in omni Calendario seu Ordine divini Officii indicantur; secundo loco Orationes communes a Rubricis praescriptae, uti sunt Orationes in festis semiduplicibus *Ecclesiae*, pro Papa, *A cunctis*, etc.; ac demum Orationes votivae¹.

510. Orationes communes in festis duplicibus et in Dominicis infra Octavas non dicuntur: in aliis vero Dominicis, Feriis et festis semiduplicibus, variantur pro varietate temporum et festorum, quod semper indicatur in Calendario.

¹ Vide Rubric. general. Missalis, t. IX: De Orationibus.